



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1549. usque ad annum 1551 - ... Atque Tabulis
Chronologicis Ab Anno Christi 1000 Usque Ad 1595 ...

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118537

§. 44. Ignatius Theologos Ingolstadium mittere a Guilielmo Bavariae duce
rogatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66584](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66584)

Sæc. XVI. A C. 1550. tam Philosophicæ, quam Theologicæ Positiones, unacum juniorum Magistrorum lucubrationibus tam soluta, quam ligata oratione conscriptis ad eum transmitterentur, quæ omnia ipse haud gravate perlegit, seque præsentem discuti voluit.

§. XLIV.

Ignatius Theologos Ingoldstadium mittere a Guilielmo Bavaricæ Duce rogatus.

Ribadin. in vita P. Salmeron. Bouhours l. c. p. 319. Orlandin. n. 50. & 52. ac seq. Cum Hæretici in Universitate Ingolstadiensi Theologiæ honores plurimum depressissent (*), Guilielmus Bavaricæ Dux per S. Ignatium quosdam Theologos, qui ad hujus scientiæ, atque Universitatis gloriam rursus restaurandam idonei essent, sibi submitti rogabat. Selegerat is Salmeronem, & Canisium, quibus adjungebatur Pater Jaius a Duce speciatim expetitus, eumque

(*) Quantum Continuator a vero abludat, notum est omnibus, qui perspectum habent, quanto studio Guilielmus Bavaricæ Dux suam Regionem ab hæreticorum face illibatam conservare studuerit, quantisque fidei Catholicæ pugilibus, Eckio, Mauritio Eichstetenfi Episcopo Cancellario, aliisque Doctoribus tum hæc universitas floruerit.

que Ferrariæ Dux, in cujus ditione tum Sæcul. XVI.
A.C. 1550.
Jaius agebat, ad Farnesii Cardinalis preces ad tempus haud ægre dimiserat. Ergo omnes tres itineri sese accingunt, ac Bononiam transeuntes ibidem præmisso examine consueto Theologiæ Doctores creantur, hocque honore aucti Ingolstadii perbenigne excipiuntur, & quidem Salmeron D. Apostolum Paulum, Jaius Davidis Psalmos, & Canisius Magistrum sententiarum explanandos susceperunt. Equidem Dux Societatis Collegium condere decreverat, verum morte præventus animi sui propositum exequi haud poterat, impense tamen S. Ignatii Discipulos Alberto Filio suo commendabat.

§. XLV.

Galli Societati D. Ignatii nullatenus propensi.

Verum Jesuitæ Gallos sibi minus propensos experiri cogebantur; quamvis enim eorum nonnulli Parisiis essent, atque in Collegio Longobardico usque ad annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum nonum habitarent, eo autem anno Guilielmus Pratus Claromontanus Episcopus in Episcopali suo Palatio in via Citharæ iisdem hospitium commodaret, eisque